Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 247
Quelle:
Copyright:

Scriptor ibi ſiſte. tenuit labor iſte ſatis te.

CLXIV.

U. 145 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 263. f. non una manu perſcriptus, rubricis notatus, et, ut praefertur, *donatione inter vivos cum plerisque alijs* libris datus Collegio Ducali ab ejus *Collegiato M. Andrea de Potenprun*, qui Pagus eſt non procul ab *S. Hippolyto* infer. *Auſtriae*, A. L. et Theol. Prof. atque ad D. *Stephani* Canonico, bis, anno videlicet 1469. et 1475. ſupremo Academiae magiſtratu functo, *Commentarius* eſt in *D. Matthaei Evangelium*, cujus Προλεγομενα ita ineunt. *Euangelium grece, latine bonum nuncium interpretatur. Eu enim grece, latine bonum, angelum dicitur nuncium; licet enim omnis ſcriptura bona nunciet, magna tamen diſtantia eſt inter ea, que per ſeruos locuta eſt, et que per Dominum ſunt geſta. Et bene hec Doctrina bonum nuncium dicitur, quia ſemper ea nobis annunciat, que ad ſalutem et profectum animarum, et ad percipiendam uitam eternam attinent. Et ſciendum, quod ſicut una eſt fides et unum baptiſma, ita et unum eſt euangelium, quia et una doctrina. Et quod unum ſit, Dominus manifeſtat, cum dicit, Ite predicate euangelium omni creature. Et paulus, Notum facio uobis fratres euangelium, quod euangelizatum eſt a me. Nos ergo quotieſcunque plurali numero dicimus euangelia, non doctrinam diuidimus, ſed libros diſtinguimus. Quod quidem euangelium Dominus ac redemptor noſter* &c. Deſcribenda erant haec hucusque; hic enim coincidunt cum Editione hujus Commentarii *Antverp.* 1551. 8. quam e *Codice*, ut ait, vetuſtiſſimo et male habito Bibliothecae Conventus O. M. *Mechlin.* curavit F. *Joh. Cuiphius* adjutore non incelebri F. *Petro Crabbeo.* Atque in Codice quidem nomen *Anſelmi Cantuarienſ.* praeferebat. Idem nomen: *Anſelmus Anglicus*, in calce Exempli noſtri ad marginem legitur, ad finem vero ipſius textus annus miniatus 1112. qui utique tertius eſſet ab *Anſelmi* exceſſu, et ille fortaſſe, quo ſcriptum fuit Exemplum, cujus noſtrum ἀπογραφον eſt. Atque hac ratione firmaretur in poſſeſſione hujus *Commentarii Anſelmus*; quis enim credat jam tertio a morte anno adſcriptum illi fuiſſe alienum opus? Quid autem ſi Librarius noſter *Anſelmum* dixit *Anglicum*, quem *Laudunenſem* dicere debuiſſet? Non deſunt Eruditi, qui *Commentarium* ad hunc anno 1117. defunctum referunt, dum interea alii *Guilelmum Arvernum* Ep. *Pariſ.* ✠ 1249. alii *Hervеum* Monach. *Dolenſem* circa a. 1130. alii denique *Petrum Babyonum Anglum* circa 1320. autorem faciunt. Litem inter hos componere ſibi viſus eſt *Oudinus*, dum T. II. *col.* 938. ad Codices Bibl. Reg. *Pariſ.* provocans indubium *Babyonis* Commentarium incipere ait: *Dominus ac redemptor noſter*